

electio mali non solum est recta quando propter hujusmodi electionem maius bonum acquiritur quam sit illud quo per tale malum privatur; immo potest esse recta quando per talem electionem, etsi nullum aliud bonum ab ipsa acquiritur, tamen vitatur maius malum quam sit illud quod eligitur. Constat autem quod maius malum est culpa inobedientiae et detestationis divinae ordinationis et justae voluntatis, qua vult aliquem damnari, quam sit ipsa damnatio pro quanto est pure poena, vel quam sit annihilation, quam Deus posset juste velle alieni infligere, et sibi infligendam revelare, et circa hoc dare sibi preceptum obedientiae et patientiae.

Consonat huic responsioni Henricus, duodecimo *Quodlibeto*, q. 13, ubi sic dicit: « Illud quod debet fieri secundum rectam rationem, tenet aequaliter apud omnes; nec de hoc debet aliter judicare sperans aliam vitam quam non sperans, nec catholicus et philosophus. Constat autem quod secundum rectam rationem eligendum est mori pro republica (2), sperando aliam vitam, non tam pro premio futuro, quam quia peccaret nisi vitam corporalem pro republica exponeret. Ergo non sperans aliam vitam, debet hoc eligere secundum rectam rationem, cum opera virtutum sint facienda, et opera vitiiorum sint fugienda. Et sic pro republica debet quilibet eligere mori. Nec oportet addere *cum necesse fuerit*, sed *pro temeritate sua*. Nec oportet addere *pro salute reipublicæ*, et *non pro jactantia et honore proprio*, quia fortis non esset. Unde dicit Philosophus, 3. *Ethicorum* (cap. 6): *Principaliter autem dicetur fortis, qui circa bonam mortem impavidus, et quæcumque inferunt talia, quæ maxime sunt circa bellum*. Et, 9. *Ethicorum* (cap. 8): *Amicorum gratia multa agere, et, si oportet, mori*. Unde dicendum est quod turpiter viveret qui pro republica non se exponeret. Unde ad hoc tenetur jure naturæ. Melius est autem bene mori, quam turpiter vivere: quia, licet per talem mortem bonum non acquireret, sed omnia amitteret, evitaret tamen malum culpe. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Talis miser esset secundum veritatem, quia ad poenam descenderet, et bona præsentia amitteret. Sed miserior esset, qui (6) non se pro republica exponeret: quia culpam incurreret; major autem est miseria culpe quam poena. » — Haec ille.

De predictis dicit sanctus Thomas, primo *Quodlibeto*, art. 9. Arguit enim sic, primo loco: « Poena inferni est æterna et irremediabilis. De peccato autem potest homo liberari per penitentiam. Ergo magis debet velle peccare quam in inferno esse. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod culpa mortalis etiam de se per-

petua est, sed ex sola Dei misericordia remedium habet. Præterea plus ponderat bonum divinum, contra quod agit culpa, bono naturie creatæ, cui opponitur poena, quam perpetuitas poenæ temporalitati culpe. » Item, secundo loco, arguit sic: « Poena inferni includit culpam: una enim de poenis inferni est vermis, id est, conscientiæ remorsus de culpa. Culpa autem non includit poenam inferni. Ergo magis est eligenda culpa quam poena inferni. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod remorsus conscientiæ non est culpa, sed consequens ad culpam. Et posset esse sine culpa, in eo qui habet conscientiam errantem de præterito commisso: sicut si aliquis credat aliquid a se prius commissum esse illicitum, quod tamen erat licitum, et, dum ipse ficeret, licitum reputabat. » — Haec sanctus Thomas.

Et haec de questione dicta sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

QUESTIO II.

UTRUM CONFESSIO FACTA AB ILLO
QUI NON EST CONTRITUS NEC POENITENS, ALIQUID VALEAT.

CONTRUM circa decimam septimam distinctionem *Quarti* queritur: Utrum confessio facta ab illo qui non est contritus, nec poenitens, aliquid valeat.

Et arguitur quod non. Quia confessio distinguitur contra contritionem et satisfactionem. Sed contritus et satisfactio non valent sine charitate. Ergo nec confessio.

In oppositum arguitur. Quia contritus valet sine actuali confessione, dummodo habeatur in proposito. Ergo similiter confessio valet sine actuali contritione.

In hac questione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod confessio facta sine contritione non valet, pro tempore quo fit, ad remissionem peccati quoad culpam vel poenam.

(2) non. — Ad. Pr.
(6) qui. — quia Pr.

Secunda conclusio est quod talis confessio, recedente fictione, incipit esse fructifera confitenti.

Tertia conclusio est quod taliter confessus non tenetur iterare confessionem prius factam, sed solum confiteri suam fictionem.

Has tres conclusiones ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 3, art. 4, in solutione primae quaestione. Ait enim sic : « Confessio est actus virtutis, et pars sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis, est actus meritorius proprius. Et sic confessio non valet sine charitate, que est principium merendi. Sed secundum quod est pars sacramenti, sic ordinat confitentem ad sacerdotem, qui habet claves Ecclesie, qui per confessionem conscientiam confitentis cognoscit. Et, secundum hoc, confessio potest esse etiam in eo, qui non est contritus : quia potest peccata sua sacerdoti imnotescere, et clavibus Ecclesiae se subjicere. Et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen, recedente fictione, percipere incipiet, sicut etiam est in aliis sacramentis. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit; sed tenetur postmodum suam fictionem confiteri. » — Haec ille.

Item, ibidem, arguit sic (arg. Sed contra) : Qui libet tenetur ad confessionem mortalium. Sed (z), si aliquis semel confessus est, etiam in mortali existens, non tenetur ulterius ad confitendum eadem peccata : quia, cum nullus sciat se charitatem habere, nullus sciret se confessum fuisse. Ergo non est de necessitate confessionis quod sit charitate formata. w — Haec ille.

Ex quibus possunt formari rationes pro qualibet conclusione. — Pro prima siquidem, arguitur sic : Peccatum non remittitur, nisi adsit gratia et charitas. Sed confessus incontritus caret charitate et gratia. Ergo non consequitur remissionem peccatorum pro tunc. — Pro secunda vero conclusione arguitur sic : Non minoris efficacie est sacramentum penitentiae quam sacramentum baptismi. Sed fictus suscipiens sacramentum baptismi, recedente fictione, consequitur ultimum effectum baptismi et rem sacramenti. Ergo similiter, fictus recipiens sacramentum penitentiae, recedente fictione, consequitur ultimam rem sacramenti. — Pro tertia conclusione arguitur sic : Siue est de baptismo, sic videtur esse de sacramento penitentiae. Sed fictus recipiens sacramentum baptismi, non tenetur iterato baptizari. Ergo fictus recipiens sacramentum penitentiae, non tenetur iterum confiteri ea quae prius confessus fuit cum fictione.

Et in hoc primus articulus terminatur.

(x) *Sed. — que Pr.*

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

CONTRA SECUNDAM ET TERTIAM CONCLUSIONES

I. Argumenta Durandi. — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem, contra secundam et tertiam (z) arguit Durandus (dist. 47, q. 43), dicens : Aliquis potest dici non contritus et non penitens dupliciter : uno modo, quia dolet de peccatis, sed non sufficienter; alio modo, quia non dolet de peccatis, nec pro tunc abstinere proponit. Primo modo confessio facta a non contrito, valet. Quia nulli potest constare de sufficienti contritione; et ideo, ad hoc quod excusatitur a transgressione praecepti de confessione, sufficit quod reputet se contritum. Et credibile est quod Deus supplet residuum : aut quia (z) per absolutionem, virtute clavium, precedens dolor (z), qui fuit insufficiens, efficitur tunc sufficiens; aut quia (z) postmodum, superveniente contritione, dimittitur peccatum. Nec tenetur ad iterandum confessionem prius factam. Si autem sit incontritus quia non penitet nec pro tunc abstinere proponit, sic est difficultior quæstio. Circa quam sunt duo modi dicendi. Primus, quod talis confessio valet ad remissionem culpe: quia impenitens, quando confitetur et absolvitur, licet tunc non recipiat fructum absolutionis, tamen, recedente fictione, recipiet; sicut de baptismo dictum est. Et forte ratio hujus opinionis est, quia, sicut in baptismo imprimitur character, ad quem, recedente fictione, consequitur gratia, sic, in penitentia, recipitur quædam dispositio, vel ornatus, ad quem, recedente fictione, sequitur gratia, per quam est remissio peccatorum. Sed istud non videtur aliis, propter tria.

Primo. Quia nullus talis ornatus imprimitur a sacramento penitentiae, sed est adinventio ficta.

Secundo. Quia, si aliquid tale imprimitur, non manet nisi cum gratia; alioquin multiplicaretur in eodem secundum numerum, cum contingat iterari confessionem et absolutionem de eisdem peccatis, et, iterata causa, iteratur effectus; quod est inconveniens. Si autem non manet nisi cum gratia, non imprimitur nisi per confessionem et absolutionem per quam confertur gratia; quod non est in proposto.

Tertio. Quia, dato quod talis ornatus posset esse cum gratia et sine gratia, ad ipsum non sequeretur gratia, recedente fictione quacumque, cum indiffe-

(z) *et tertiam. — Om. Pr.*

(z) *quia. — quad. Pr.*

(z) *virtute clavium, precedens dolor. — precedens dolor, virtute clavium Pr.*

(z) *quia. — Om. Pr.*

renter se habeat ad gratiam et ad privationem ejus, sicut prius dictum est de charactere baptismi.

Quarto. Arguitur contra illum modum, et pro alio, scilicet quod talis confessio non valet ad remissionem culpe, nec pro tunc, nec recedente fictione. Quia talis impenitens; aut confitetur suam impenitentiam, quae est propositum non abstinendi; aut non. Si non confitetur, tunc est fictus fictione quae est speciale peccatum et contemptus sacramenti; et ita confessio ejus non est integra, cum omittat confiteri illud peccatum. Confitetur autem quae non est integra, non valet, sed est iteranda. Ergo, etc. Si vero confitetur talam fictionem, non debet absolviri. Quia minister, cuius sit instrumentum principalis agentis, scilicet Dei, non debet aliquem absolvere, quem seipsum a Deo non absolvit; sicut instrumenta artis non agunt nisi prout mouentur a principali moveente. Sed sacerdos seipsum illum qui non penitet, a Deo non absolvit. Ergo nullo modo debet sacerdos absolvere. Et ideo dicit Dionysius, in fine *Ecclesiasticae Hierarchiae* (2), quod sacerdotibus utendum est virtutibus hierarchicis quomodo divinitas eos moverit. Si autem sacerdos presumat de facto talum absolvere, peccat, sicut ille qui a divino ordine avertitur. Nec absolute consupitur effectum aliquem; quia virtus sacramentorum est principaliter a Deo, non autem a sacramentis, vel ministro, nisi sicut a causa sine qua non. Et ideo qui sic confitetur, et de factori absolvitur, tenetur iterum eadem confiteri, et de eis absolviri. — Haec Durandus, informa, etc.

II. Argumenta Godofridi. — Contra easdem conclusiones arguit Godofridus, quinto *Quodlibeto*, q. 12(6), multipliciter.

Primo. Quia, si aliquis virtute absolutionis facta consequatur gratiam postea et non statim, hoc est quia aliqua dispositio imprimitur in anima, ad quam sequitur gratia, cessante impedimento, quod est fictio, que manet, transmutante absolutionem; sicut post baptismum remanet character, ad quem sequitur gratia, recedente fictione. Sed hoc non potest poniri in absolutione sacramentali: quia, si ibi aliqua dispositio imprimitur, non manet quamcum absolutione impeditur. Ergo non potest ponere quod in fide confitente, vi absolutionis praeterita sequatur postea gratia et remissio peccatorum. Minor patet. Quia illi dispositio, aut potest manere cum peccato, aut non. Si non, ergo nulla talis facta est in fide confitente, cum remanerint peccata. Si autem potest manere, cum peccato, tunc habens ex una absolutione talum dispositionem, si iteraverit peccatum, non tenetur iterum confiteri; quia habet dispositio-

nem que innata est per sacramentalem absolutio- nem, ad quam debet sequi gratia et remissio peccatorum, nisi sit impedimentum ex parte hominis. Hoc autem non videtur conveniens. Ergo inconveniens est ponere talam dispositionem manentem in falso, per quam postea sequatur remissio peccatorum.

Secundo. Quia de ratione sacramenti penitentiae, vel penitentiae sacramentalis, est habere istas tres partes simul, saltem in proposito, scilicet confessionem, contritionem et satisfactionem; nec sufficit unum eorum sine alio, in re, vel in proposito. Sed illa non sunt in fide confitente, nec in re, nec in proposito. Ergo ejus confessio non est pars vere penitentiae sacramentalis; nec, per consequens, liberatur, nisi confiteri iterato, confessione quae sit pars vere penitentiae.

Tertio. Quia talis fictus, saltem facto mentitur, et committit novum peccatum, fingendo se velle dimittere peccatum; quod quidem non confitetur. Et sic ejus confessio non est integra. Ergo debet haberi pro nulla. Et sic non tollitur obligatio praecipi per fidem confessionem.

Quarto. Quia ista fictio: aut est falsa assertio, quia confitens asserit se contritum, cum non sit; vel est defectus purus displicentiae de peccato. Si primo modo, tunc committit novum peccatum, quod non confitetur; et sic confessio nulla est; quia non est integra. Si secundo modo, aut tenetur confiteri fictionem illam, aut non. Si non, hoc est contra te, qui ponis quod debet confiteri fictionem. Si sic, — Contra. Quia non potest confiteri fictionem modo quo debet, nisi dicat in speciali quod talia peccata in speciali confessus fuit sine displicentia; quia sic solum reducuntur ad notitiam sacerdotis omnia peccata confessi; nisi forte confiteretur eidem cui prius, et tunc sufficeret dicere: *Confessus fui vobis sine displicentia, et de hoc confiteor.* — Item, cum defectus talis displicentiae non dicat speciale peccatum, non videtur quod indigeat speciali confessione, si in confessione tali confitetur aliquid unde recedente fictione consequatur remissio peccatorum; sicut etiam baptizatus cum fictione non indiget alio sacramento ad tollendum reatum illius fictionis, nisi quod recedat fictio (x). Sic ergo sequitur quod fide confitens tenetur iterum confiteri; ita quod, si credit ad eum cui prius confessus fuit peccata sua, si ille habebat memoriam, sufficit confiteri in generali fictionem suam; si autem alii, tenetur totum (y) iterare in speciali.

Quinto. Quia rationes alterius partis non valent. Quae sunt possimne tres. *Prima* est: Quia confessio que est pars penitentiae que est sacramentum, non requirit nisi quod bono ordinet se ad sacerdotem,

(x) *fictio.* — Om. Pr. 1.

(y) *totum.* — volum. Pr.

— Cap. 7, III, § 7. Cfr. Migne, *Patrol. græca*, tom. 3, col. 563.

(6) In manuscripto Godofridi Bibliothecæ Vaticanae (cod. lat. 1691), hanc argumentum reperjuntur, *Quodlibet* 9, q. 10,

notificando ei peccata sua, et subjiciat se clavibus Ecclesie. Sed hoc potest facere tam fictus quam contritus. Ergo confessio sic facta sufficit ad penitentiam prout est sacramentum; ita quod non oportet eam (α) iterare; tenetur (β) tamen suam fictionem confiteri. — *Secundo.* Quia sicut confitens implet preceptum Ecclesie. Sed non impleret nisi faceret illud quod requiritur ex parte confessionis. Ergo, etc. — *Tertio.* Quia sacramentum novae legis est rememorativum, demonstrativum et pronosticum. Sed pronosticum est respectu futuri. Ergo sacramentum novae legis respicit gratiam futuram. Et sic (γ), licet aliquis per confessionem praesentem, dato quod non conteratur, non habeat gratiam, tamen potest eam via confessionis facte habere in futuro. Ergo, etc.

Sed istae rationes non cogunt. Quod patet discurrendo per singulas. Quia *ad primam* dicendum quod confessio quae est pars penitentiae sacramentalis proprie accepta, requirit displicantiam peccati, sine qua non est perfectum sacramentum penitentiae; propter defectum materie convenientis, que debet esse peccator contritus vel attritus; licet sit ibi aliquid pertinens ad confessionem sacramentalem, quia confessor (δ) tenetur celare audita sub sigillo confessionis, ad quod tenetur etiamsi nullam absolutionem impenderit. — *Ad secundum* dicendum quod preceptum de confitendo absolute non est preceptum Ecclesie, sed Dei; sed confiteri tempore determinato est preceptum Ecclesie. Unde dicendum quod simplex narratio peccati sufficeret ad impletendum preceptum Ecclesie, non tamen ad impletendum preceptum Dei, sine displicantia. Vel potest dici quod etiam non implet preceptum Ecclesie, quia ejus confessio, ut dictum est, non est integra. Item, etiam non satisfacit intentioni Ecclesie, que intendit confessionem faciendam ad receptionem Eucharistie dignam, ad quam requiritur displicantia peccati. — *Ad tertium* dicendum quod sacramenta novae legis non dicuntur signa pronostica respectu gratiae formaliter sanctificantis, sed magis demonstrativa; quia semper in eis confertur gratia, nisi sit defectus ex parte recipientis. Sed dicuntur signa pronostica respectu quorundam aliorum: puta, respectu conjunctionis Christi et Ecclesie, dicitur matrimonium signum pronosticum. Et ideo argumentum procedit ac si essent signa pronostica respectu gratiae. Et ideo non valet, — Hoc Godofridus, in forma.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

- (α) *ram* — *ca Pr*
- (β) *tenetur* — *se probato Pr*
- (γ) *ac* — *Omn Pr*
- (δ) *confessor* — *Omn Pr*

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM ET TERTIAM CONCLUSIONES

I. Ad argumenta Durandi. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est ad argumenta. Et quidem ad argumenta Durandi respondet Petrus de Palude (dist. 17, q. 8). Unde

Ad primum dicit quod, « licet non in omnibus sacramentis eodem modo ornatus imprimatur (quia in Eucharistia, cuius essentia consistit in consecratione materie, ornatus non imprimitur nisi in usu; et tunc in sola materia, scilicet in speciebus, est ista virtus, quia verba jani transierunt; sed qui intus continetur, potest gratiam sicut vult imprimere); tamen, cum omnia sacramenta gratiae in hoc convenient quod est conferre gratiam, et non conferant eam effective, sed dispositive, probabile est quod, sicut in imprimientibus characterem pro dispositione imprimitur character, sic in non imprimientibus characterem imprimitur aliquid consimile disponens. » — Hec Petrus.

Ad secundum dicit quod, « cum talis ornatus non habeat contrarium, sicut nec character, nihil ipsum corruptit, sed indelebilis est. Et si iteratur idem sacramentum in specie, intenditur ornatus. Nec propter hoc gratia intenditur, si devotio minatur; sed, ceteris paribus, augeretur. — Vel potest dici quod character non solum imprimitur ut sit dispositio ad gratiam, sed ut sit signum distinctivum et manipulativum ad aliquod sacrum; unde est indelebilis, sicut et ceterae consecrationes. Ornatus autem solum imprimitur ut sit dispositio ad gratiam in fieri; unde, ipsa adveniente, cedit; et quousque advenerit, non recedit, sed, cum eam introduxit, ut seta filum, et timor servilis charitatem, cedit. — Vel dicendum melius, quod sicut virtus in sacramento manet quousque dispositionem causaverit, qua causata, esse desinit; sic dispositio causata, qua non est character, sed ornatus, tantum durat usque ad infusionem gratiae inclusive, qua habita, desinit esse, sicut dispositio actualis non manet. »

Ad tertium respondet quod, « licet ornatus possit stare cum privatione gratiae, tamen de se est dispositio ad gratiam, sicut diaphaneitas est dispositio ad lucem, que tamen, luce subtracta, manet in tenebris eadem numero. » — Hec Petrus.

Ad quartum dicit primo, quod « prima pars illius rationis secundum rei veritatem bene concludit. Quia, secundum omnes, confessio non integra, est ex integrō iteranda; et, nisi sit integra, est totaliter nulla, nec est verum sacramentum. Unde nec tunc

nec postea potest habere effectum; nisi quod, si confiteretur eidem, sicut communiter homines faciunt suis curatis, sufficeret dicere fictionem non dictam, et, recedente fictione, haberet effectum ex contritione, non ex sacramento, quia nullum fuit, nisi in casu. » Secundo, dicit quod « coquendum est quod, si confiteatur fictionem, non est absolvendus, etiam sub conditione, si prius confiteatur; quia primo fuit Lazarus a Domino suscitatus, quam a discipulis solutus. » Tertio, dicitur quod, « si de facto absolvitur, sicut abusus baptismi et fictio non impediunt characterem; sic, dato quod sacerdos erret, et iste sit factus, non impedit forte effectum ornatus. » Quarto concordat dicta Durandi cum dictis sancti Thomae, ponendo quatuor conclusiones. « *Prima* est quod talis non est liberatus a precepto divino, si non habuit intentionem confitendi et absolvendi sacramentaliter, sed deridendi: quia sine intentione non potest suscipi essentia sacramenti, quae consistit in usu; et tunc tenetur iterum confiteri. Et idem est si intendebat implere preceptum, et sacramentum verum suscipere, quod Ecclesia dat, tamen nullam habebat poenitentiam de peccato; receperisset quidem verum baptismum, ordinem et alia sacramenta, sed non poenitentiam; quia pars essentialis hujus sacramenti, quod consistit in actu suscipientis, est actus interior; unde sine eo non est; sicut non esset matrimonium, si quis intenderet verum sacramentum suscipere, non tamen consentiret nisi in carnalem copulam, et ad tempus. *Secunda conclusio* est quod, si fuit talis poenitentia, que sine sacramento sufficisset, tunc fuisset contritio. Nec sic currit questio, quia non fuisset fictio. *Tertia conclusio* est quod, si fuisset talis attritio, que non sufficeret sine sacramento, sed cum ipso, tunc etiam facta esset contritio viae clavium, et fugata fictio. Nec adhuc curreret questio. *Quarta conclusio* est quod, si fuisset talis poenitentia que nec cum sacramento esset sufficiens ad gratiam, tunc vera est opinio sancti Thomae, quod, fictione recedente, incipit valere confessio, et non tenetur confiteri nisi fictionem: utputa si habuit dolorem quidem imperfectum (2), sed non sufficienter conscientiam discussisset, putabat autem discussisse quantum sufficiebat; vel si dolebat de praeterito, non proponens cavere in futuro, aut e converso; vel non erat dolor maximus, sicut debet; ipse tamen secundum conscientiam suam non erat ita factus, licet secundum veritatem esset, et sic nihil celavit quod crederet mortale, et, per consequens, secundum suum iudicium, concurrebat omnia que erant necessaria; postea autem certificatus de errore sue conscientiae, poenitit de illo defectu, qui, quia erat error juris divini, non tollit fictionem respectu ultimi effectus sacramenti (quia

improbabilis, et non excusat), sed tamen, eo ipso quia error, tollit fictionem quae excluderet essentiam sacramenti; unde verum sacramentum fuit; propter quod, fictione recedente, sive ex pactione, sive ex ornatu remanente, effectum habebit. — Et mirum est quomodo illi qui dicunt poenitentiam interiorem non esse partem sacramenti, negant poenitentiam valere postea, cum tamen omnia fuerint que ipsi ponunt de essentia sacramenti, quibus positis, omne sacramentum habet effectum suum, vel tunc, vel postea, recedente fictione. Sed ipsi dicent quod hoc non est verum in sacramentis iterabilibus. Contra quod, est quod (2) matrimonium quod non habuit consensum, sed deceptionem, cum verbis, postea confirmatur ex solo consensu superveniente; sed, supposito quod consensus sit de essentia matrimonii, si a principio desuit, postea, ad hoc quod matrimonium sit, non sufficeret consensus novus sine exteriori signo; nisi dicatur quod signum quod praecessit, sufficit; quod forte non est verum, quia simul debent concurrere haec partes sacramenti. — Ex his patet quod opinio sancti Thomae potest multis modis salvari. *Uno modo*, scilicet qui dictus est, loquendo de illo qui factus est privative, non positive: quia scilicet habet dolorem ita imperfectum, quod nec cum sacramento actu suscepto sufficeret ad contritionem; nihilominus tamen hanc imperfectionem, que est fictio, non confitetur, quia credit esse sufficienter dispositus; et sic non scienter celat peccatum, quod fuit in hoc quod non examinavit conscientiam suam sicut debuit. Tali ergo, qui verum sacramentum suscepit, ornatu imprimitur; sed gratia non datur. Sed postea, quando redit ad cor, et recolit se non bene fecisse debitum suum, et ex negligentia aliqua oblitum, incipit valere confessio. Et non tenetur confiteri illa que tunc confessus fuit, quia non fuit dimidiata ex intentione; sed solam fictionem illam. Si autem fuisset sic tunc positive celata, fuisset confessio nulla. Vel, si fuisset confessa, non debuisset dari absolutio. Sed, si fuisset data, dubium est utrum ornatum impressisset. In quo casu non potest sanctus Thomas intelligi. *Secundo modo* potest intelligi, quando est positiva fictio, quantum ad hoc quod non dolet, nec proponit abstinere; tamen ista fictio non occurrit sibi ut confiterenda, nec actu cogitat quod teneatur eam confiteri. Tunc enim sicut de peccato quod occurrit quidem, sed non credit quod sit peccatum, aut quod sit mortale et de necessitate confitendum, idem est ac si fuisset oblitum per negligentiam, nec fecisset debitum suum de scrutando (6) conscientiam. In quo casu, solum illud est confitendum; et est verum sacramentum; licet hic sit ignorantia juris divini, ibi facti. Et hoc modo potest sustineri dictum Thomae, dist. 21, q. 2, art. 2,

(1) *imperfectum.* — *perfectum* Pr.(2) *scrutando.* — *screvendo* Pr.

in solutione ultimi argumenti, quod « ignorantia juris divini non excusat a fictione ». Ergo talem vocat fictionem. *Tertio modo* potest sustineri, ut supra tactum est, in illo qui confiteretur eidem cui prius, quantum ad hoc quod non oporteret reiterare, etiam si non recoleret; quia nec ubi est *integra*, oportet quod recolat actu de principio quando est in fine; et maxime quia hic sufficit absolvere ab omnibus, et injungere pénitentiam pro fictione, et pro aliis quod faciat pénitentiam sibi injungetur tunc^(x). Sed tunc alia pars non videtur posse sustineri, scilicet quod non habeat effectum tunc, sed recedente fictione; quia nullum sacramentum fuit, nec, per consequens, ullum habuit effectum tunc, nec post habere potuit; licet, quantum ad primam partem, posset dici probabiliter, quod Thomas refert se ad ea quae communiter et de jure communii accidunt, quod homo confiteatur curato suo. » — Haec Petrus, et bene.

Potest tamen dici brevius ad **quartum argumentum**, quod talis fictus non semper in casu quo non confitetur suam fictionem, dimidiat suam confessionem secundum suam estimationem, nec contemnit sacramentum, nec semper committit in hoc speciale peccatum, nec semper tenetur illud pro tunc confiteri, sed aliquando, et aliquando non, ut dictum est, et latius dicetur. Et ideo oportet distinguere de multiplici fictione: quia talis posset esse fictio, in qua dicta Durandi et Godofridi haberent locum; puta cum confitens non intendit recipere sacramentum, sed deridere Ecclesiam; vel cum intendit recipere sacramentum, sed non rem sacramenti; vel cum intendit utrumque suscipere, tamen nullam habet pénitentiam de peccatis; vel, licet peniteat de praeterito, proponit non caverere defuturo, vel econtra, proponit caverere in futurum, sed non dolet de praeterito, et hoc ipsum actu considerat. Talis enim fictio totaliter evanescat essentiam sacramenti, et consequenter omnem ejus effectum; et tenetur iterum confiteri totum. Est autem multiplex alia fictio, in qua locum habent dicta sancti Thomae, ut bene dicit Petrus.

Et haec sufficient ad objecta Durandi.

II. Ad argumenta Godofridi. — Ad argumenta Godofridi, respondet Bernardus de Gannato, in impugnationibus Godofridi, *Quodlibeto* 5, q. 42, ubi sic dicit: « Questio quam Godofridus ponit et tenet, non est vera: quia qui fictum confitetur integrum peccata sua (vocando fictum non contritum, sicut ipse vocat), non tenetur iterum confiteri eadem peccata, de quibus non contritus confessus est. Quod patet. Primo, quia nec ex obligatione divina, nec ecclesiastica, obligatur quis ad id quod est impossibile ei. Sed impossibile est quod aliquis

sciat se contritum; quia contritio non est vera contritio sine gratia, quam nullus, secundum communem cursum, potest se habere. Ergo, si non contritus teneretur iterum confiteri, cum nullus sciat ulrum fuerit contritus, nullus sciret utrum teneretur iterum confiteri; et sic nunquam sciret se absolutum ab illa obligatione respectu cujuscumque peccati de quo confessus sit; quod est inconveniens. Unde, cum homo non possit hoc scire, utrum sit contritus, non potest ad hoc determinate obligari ut confiteatur cum contritione. Sed obligatur ad contritionem in confessione, sicut ad alia praecepta affirmativa adimplenda; ad que obligatur absolute, sed non quod implet ex charitate; quia tunc peccaret quandcumque non implet ea ex charitate, et omnis (x) peccator, vel quicumque alias, qui honoraret parentes non existens in charitate, peccaret mortaliter honorando parentes, quia transgredieretur praeceptum; quod nullus dicebat. Non ergo absolute sumus obligati ad servandum praeceptum ex charitate, sed ad servanda absolute. Unde qui non honoraret parentes quando oportet, peccaret sicut transgressor praecepti. Ad hoc tamen quod observatio praeceptorum sit utilis, sumus obligati ad servandum et implendum ea ex charitate; quia non sunt nobis utilia ad vitam, nisi cum charitate impleantur. Non sunt ergo obligativa ad poenam sensus, si non impleantur cum charitate; sed sunt privativa vitae aeternae, id est, non utilia ad eam. Et similiter dicendum est in proposito, quod homo obligatus est ad confitendum absolute: ita quod implet praeceptum de confessione, confitendo integre; sed non est ei utile ad vitam aeternam sine contritione, vel tunc presente, vel futura. Unde dicere quod confessus non contritus teneatur iterum confiteri, est obligare hominem ad iterum et iterum confitendum omnia de quibus confessus est, cum nunquam sciat se fuisse contritum. — Sed forte dices quod non est idem nescire se esse contritum, et scire se non esse contritum. Unde bene verum est quod nullus scit se esse contritum; sed bene potest scire se non esse contritum, quia bene potest scire si peccata de quibus confessus est, displicerunt ei, et si fuit in proposito iterum committendi. In primo casu, non tenetur homo iterum confiteri, quia, scilicet non potest scire affirmativam, scilicet se esse contritum. Sed negativam potest scire, scilicet non esse contritum, propter actus contrarios contritioni, qui sunt complacencia de peccato praeterito, et voluntas committendi in futuro. — Dicendum quod homo obligatur ad confitendum peccata homini, ex praecepto divino, ut sic subjiciat se clavibus Ecclesiae, quae debent in eo operari per hominem ministrum Dei et Ecclesie. Ut ergo homo sciat peccata, et pénitentiam debitam imponat, ordinata est confessio.

(x) *non semper.* — Ad. Pr.

(x) *omnis.* — cui Pr.

Hoc autem totum potest fieri in illo qui scit se non esse contritum : quia et ipse peccata propria potest dicere, et potest condignam pœnitentiam pro eis a sacerdote recipere; quam implebit recedente fictione; et sic valebit totum, dummodo peccatum fictionis confiteatur. Tenetur ergo Deo et homini. Sed ab obligatione qua tenetur Deo reconciliari, nunquam deobligatur sine contritione; quia, nisi habeat eam, numquam restituitur ad amicitiam divinam. Homini autem non est obligatus propter ejus reconciliacionem, quia hominem istum non offendit directe; sed est obligatus ad dicendum peccata sua homini, et recipiendum pœnitentiam quam taxabit. Ergo, licet sciat se non esse contritum, absolvitur ab obligatione qua obligatus erat homini ex precepto divino et ecclesiastico. Si tamen sacerdos adverteret istam fictionem, scilicet quod non doleret de peccatis praeteritis, nec proponit cavere a futuris, non deberet eum absolvere. In solvendo autem rationes suas, apparebunt aliae rationes. » — Haec Bernardus, in forma.

Ad primum ergo Godofridi, dicit quod, « sicut per sacramenta quedam imprimitur character, sic et per alia imprimitur quadam dispositio in anima, ut nullum sacramentum sit sine aliquo effectu, dummodo rite conferatur, et rite suscipiatur. Ad hoc autem quod absolutio sacramentalis conferatur rite, requiritur ex parte conferentis auctoritas, et notitia de peccatis, de quibus judicat; ex parte recipientis, requiritur ministratio materie, que sunt peccata. Unde (z) fiat talis ratio : Omne sacramentum habens debitum ministerium, et debitam formam et materiam, et debitum recipiens, aliquid operatur. Sed sic est in casu nostro : quia sacerdos est debitus minister, et utitur debita forma; item est ibi debita materia, scilicet peccata; et recipiens absolutiōnē ab homine, scilicet peccator, qui, licet sit factus, et non recipiat absolutiōnē a Deo, quia non infunditur ei gratia, recipit tamen absolutiōnē humanam ab homine : ita quod, sicut in baptismo, non obstante fictione, imprimitur character, et non gratia, quia gratia opponitur fictioni, et non characteri; ita in absolutione imprimitur dispositio quedam, et non gratia, quia dispositio ista non contrariatur peccato, sicut nec character. Et ideoponunt doctores talem dispositionem imprimi in anima in virtute sacramenti, ut sacramentum habens omnia que debet habere, excepta fictione, non careat omni effectu; sicut cum baptismus habet omnia que debet habere, non impeditur ab impressione characteris, propter fictionem recipientis. Et est simile in naturalibus : cum ignis calefacit aquam, non potest aliquando cum convertere in seipsum; licet tamen non convertat, ita : scilicet quod non imprimat formam substantiam in materia aquae, imprimat tamen quandam dispositionem, scilicet

calorem; unde si non possit habere totum effectum, habet tamen dispositionem ad principalem effectum. Sicut omnino est in proposito : quia, cum sacramentum non potest habere principalem effectum, qui est remissio peccatorum, quantum ad absolutionem, imprimat tamen quandam dispositionem ad effectum principalem; et ideo, recedente illo quod impediebat principalem effectum sacramenti, ista dispositio operabitur in virtute sacramenti, sicut si sacramentum esset praesens, et fiet tunc remissio peccatorum. Quod ergo dicit, quod illa dispositio non manet quamdui absolutio impeditur ; — dicendum quod manet quousque habeat effectum suum in virtute sacramenti collati. Quod ergo probat, quod non ; — dicendum quod illa dispositio potest manere cum peccato, sicut et character. Et quod dicit, quod habens talem dispositionem, si iteraverit peccata, non teneretur iterum confiteri ; — dicendum quod illa dispositio non agit nisi in virtute sacramenti collati, id est, absolutionis; et ideo solum habet virtutem ad illa peccata que fuerunt materia absolutionis; et ideo non oportet illa, sed alia confiteri iterum. Unde patet quod ratio non concludit : quia illa dispositio non agit nisi virtute absolutionis praeterita, que non potest se extendere ad peccata futura. » — Haec Bernardus.

Ad secundum dicit quod « de ratione verae et sacramentalis pœnitentiae sunt praedictæ tres partes; nec habet totam suam efficaciam sine tribus partibus. Unde nec in fite confiteente habebit perfectam efficaciam sine contritione. Sed ordo inter partes, fiet sit conveniens ut contritio precedat, non tamen est necessarius; sed sufficit ut contritio sequatur; quia etiam per solam contritionem remittuntur peccata, quantum ad Deum, cum solo proposito confitendi, quia homo est obligatus ad confessionem; et ideo, facta confessione, si superveniat contritio, habebit, in virtute confessionis praeteritæ, suam efficaciam. Unde etiam potest formari alia ratio : Quia non minus potest confessio praeterita quam futura; immo magis, quia praeterita habet illam dispositionem imprimere, que dicta est, quam non imprimat futura, quantumcumque habeatur in proposito. Sed contritio cum proposito confessionis futura, simpliciter delet peccatum : ita quod non tenetur confiteri, nisi semel habita opportunitate; quam si non haberet, nihilominus absolutus esset. Ergo et contritio, virtute confessionis praeteritæ, sufficit ad delendum peccatum totaliter : ita ut nulla obligatio, nec quoad Deum, ratione praesentis contritionis, nec quoad Ecclesiam, ratione praeteritæ confessionis et absolutionis, remaneat. Confirmatur ratio. Quia unumquodque virtuosius est in re et in esse reali, quam in proposito. Sed confessio praeterita, fuit in esse reali, et dimisit praedictam dispositionem. Ergo non minus fecit quantum ad omnia, quam confessio habita in proposito. » — Haec Bernardus, et bene.

Ad tertium dicit quod « talis fietus non committit novum peccatum, sed novam conditio-
nem peccati. Non pœnitere enim de peccatis præteritis, vel non proponere caverre a futuris, non est nisi circumstantia peccati, que potest aggravare peccatum, que tamen non trahit ad aliud genus peccati. Unde non est necessarium eam confiteri, licet congruum sit. Et ideo confessio integra est. Unde argumentum supponit falsum, quod ista fictione sit novum peccatum. — Sed forte dices quod accede-
dere indigne ad confessionem, est novum peccatum. — Dicendum quod non: quia accedere ad confessionem ut homo solvat obligationem ad quam se repu-
tat obligatum, non est malum per se; nec non displicentia de peccato de novo advenit, quia etiam nec prius de peccato dolebat; unde nullum novum peccatum committit; sed circumstantiam, quia ubi confitetur peccata, ad hoc quod confessio valeat ei, tunc deberet conteri de peccatis. Unde patet quod ratio non concludit. » — Haec Bernardus.

Ad quartum dicit quod, « si (x) talis affirmaret se contritum, cum non sit, adhuc forte non impedi-
ret fructus confessionis, saltem sequens. Quia tale mendacium non est perniciosum; quia non fit in detrimentum alterius, quia de se non est mortale; unde est officiosum. Peccatum autem veniale non facit confessionem non esse integrum, si non dicatur in confessione, cum non sit absolute necessarium peccata venialia confiteri. Adhuc autem minus peccat meniendo facto, scilicet simulando se contritum, cum non sit: quia mendacium facti non est ita grave sicut verbi, quia factum non est ita ordinatum ad significandum aliquid sicut verba; unde etiam Doctores ponunt quod non omnis hypocrisis est peccatum. Et ideo, sive facto, sive verbo, dicit se contritum, cum non sit, non impeditur integritas confessionis. De confessione autem fictionis, cum non trahat in aliud genus peccati, non tenetur eam confiteri; si tamen confitetur, bene facit. Quod ergo dicunt Doctores, quod debet illam fictionem confiteri, verum est quod sic debet eam confiteri, sicut debet vitare venialia, que quilibet vitare debet; tamen, si non vitat, non peccat mortaliter; quia tunc, peccando venialiter, peccaret mortaliter; quod falsum est. Unde nec in speciali nec in genera-
li tenetur confiteri peccata prius confessa, nec etiam fictionem. Unde sufficit quod recedat fictione. Sed tunc est difficultas: quia, si fictione non est nisi venialis, vel quoddam aggravans, sicut veniale, cum veniale non impedit gratiam, videtur quod vel talis fictione recipiat gratiam (quod nullus ponit), vel quod talis fictione sit peccatum mortale, per quod gratia impeditur. — Et dicendum quod in ista fictione considerantur duo: unum materiale, scilicet non pœnitere de peccatis; et aliud formale,

scilicet accedere ad confessionem cum ista impoeni-
tentia; et illud dicitur formaliter fictio. Ratione ergo primi, impeditur ne absolutio conferat gratiam, quia quandiu non pœnitet de peccatis, non confertur ei gratia; sed ratione istius actus, ut sic, non impeditur formaliter. Et ideo fictio, formaliter loquendo, non impedit quin conferatur ei gratia; sed illud quod est materia fictionis. Et, propter hoc, quando recedit materia fictionis, scilicet quod pœnit-
tebit de peccatis præteritis, tunc recedit fictio tota-
liter, et recipiet gratiam. Et ideo non oportet quod fictionem confiteatur. Nec etiam oportet quod dicat, *Confessus fui alias, et non fui contritus*: quia hoc non est novum peccatum, sed aliqua circum-
stantia peccati, que, ut admisetur confessioni, non mutat in aliud genus peccati; et sic ex nulla parte necessarium est eam confiteri. » — Haec Ber-
nardus.

Ad quintum dicit quod Godofridus male solvit ad rationes alterius partis, licet ille non sint multum efficaces. Unde, quoad solutionem *prime*, dicit quod « pœnitentia sacramentalis non habet efficaciam suam sine contritione, vel presente, vel præterita, vel futura. Unde sciendum quod in saera-
mento pœnitentie, sicut in aliis, est aliquid quod est sacramentum tantum, sicut illud quod agitur exterius inter confitentem et confessorem; et est aliquid quod est res sacramenti tantum, sicut gratia, per quam remittuntur peccata, vel remissio pecca-
torum, quod idem est; et est ibi aliquid quod est res et sacramentum; et hoc non potest esse nisi dispositio quedam, que fit in anima per absolutio-
nem, sicut per baptismum character. Et haec dispo-
sitio sufficit. Quod autem sufficiat ad remissionem peccatorum, et quod oporteat Godofridum hoc ponere, probatur per ea que iste dicit hic. Dicit enim quod oportet, ad hoc quod sit vera confessio, quod peccator sit contritus, vel attritus: ita quod videtur, secundum eum, sufficere ad valorem confessionis quod peccator sit attritus. Sed attritus in
hoc differt a contritione, quod (x) contritio non est sine gratia, quia importat sufficientem displicantiam de peccato; attritus autem non est cum gratia, quia non importat sufficientem displicantiam, sed aliqualem. Tunc ergo arguo: Aut confessio que fit cum attritione, absolutione habita, valet; aut non. Iste dicit quod valet. Sed non valet pro tempore absolutionis. Ergo post, vel unquam valet. Si postea valeat, queror per quid. Oportet enim ponere aliquid in attrito, quod remaneat post absolutionem; quia absolutio præterita, ut præterita, nihil est, sed ut aliquem effectum dimittit; qui non potest esse nisi dispositio illa quam ponunt alii. Et ideo, etiam per dicta istius, oportet ponere néces-
sario istam dispositionem. Ita quod hic sunt due

(x) s. i. — Om. Pe.

(x) quod. — quia Pr.

rationes quare oportet ponere hanc dispositionem. Una est, quia est sacramentum et res sacramenti. Alia, quia iste dicit quod confessio valet attritus; et certum est quod non valet eis pro tempore illo ad remissionem culpe, sed pro tempore alio; quod non posset facere, nisi aliquem effectum in attrito dimitteret. — Item, ad majorem evidentiam predictorum, oportet probare contrarium ejus quod iste dicit hic, quod scilicet peccator fictus, vel non contritus, non sit materia conveniens confessionis vel absolutionis. Quod autem peccator non contritus possit esse materia in sacramento poenitentiae, ita scilicet quod sit suscipiens in quantum peccator, patet: quia alius non potest recipere absolutionem cum effectu, nisi peccator; materia autem sunt peccata proprie; tamen, non faciendo vim, dicamus peccatorem, sicut ipse innuit, materiam poenitentiae. Quod non sit necessarium eum esse contritum, patet. Quia minister cuiuslibet sacramenti debet cognoscere materiam sacramenti quod ministrat, aliter male posset ei formam applicare. Sed si peccator contritus, in quantum contritus, esset materia hujus sacramenti, non autem (α) peccator, in quantum peccator, nunquam minister hujus sacramenti sciret vel cognosceret materiam sacramenti sui: quia in eo non est scire quis sit contritus; tum quia contritio est de interioribus, que non subsunt iudicio hominis, etiam in foro poenitentiae, nisi in quantum exterius patefiant; tum etiam quia, ex quo sponte dicit peccata sua, et non apparent exterius signa in contritionis (quia tunc non deberet eum absolvere), non debet judicare eum in contritum. Et ideo necesse est ponere quod peccator, in quantum sponte confitetur peccata sua, sit materia illius sacramenti, et non in quantum contritus. Ex quo patet causa dicti, quod, cum sacerdos sit sufficiens minister, et forma debita, et peccator sit materia, in quantum sponte confitetur peccata sua, patet quod in tali confessione est verum sacramentum. Et ideo non tenetur iterum confiteri. »

Contra secundam solutionem sic dicit: « Simplex narratio peccati facta per modum confessionis cui debet fieri, et sicut confessio, sufficit non solum ad implendum preceptum Ecclesiae, sed Dei. Quia Deus, licet det preceptum de confessione per Jacobum (cap. 5, v. 16), *Confitemini alterutrum peccata vestra;* tamen patet quod dat preceptum ut confessio fiat homini. Et ideo ad nihil extendit se confessio, nisi quod potest subesse iudicio hominis. Hominis autem iudicio non subest utrum aliquis sit contritus vel non contritus, nisi expresse diceret confitens se non esse contritum, ita quod diceret se non poenitere de peccatis, vel non velle (β) caverre in posterum, vel etiam nisi per facta evidenter ostend-

deret se non esse contritum; in quibus casibus, sacerdos, qui non solum habet claves aperiendi coelum, sed etiam claudendi, non debet eum absolvere. Ergo, dummodo offerat se sacerdoti ad modum poenitentis, dicendo peccata sua, hoc sufficit ad omnem confessionem, quae debet fieri homini, sive praecepto divino, sive ecclesiastico. — Item, quod dicit, quod confessio non est integra in isto casu, ostensum est contrarium: quia non poenitere de peccato, non dicit peccatum aliquod per se, sed circumstantiam peccati; que etiam nova non est quando confitetur, cum etiam prius fuerit non poenitens. Si autem fuisset poenitens et contritus ante confessionem, et nihilominus in confessione non poeniteret de peccatis de quibus prius poenituit, tunc ex mala voluntate sua committeret novum peccatum, quia de novo haberet complacentiam in malo. Et, in tali casu, bene oporteret confiteri peccatum: verbi gratia, *Habui complacentiam et in hoc et in illo, et placuit mihi quod feceram.* Unde sic debet confiteri in tali casu, supposito quod contritio processit, et quod ipse sciverit eam processisse; quod est impossibile. Et ideo semper regulariter dicendum est quod nunquam istam impoenitiam, quae non est nisi circumstantia peccati, in aliud genus non trahens, non tenetur confiteri. »

Contra tertiam solutionem dicit quod « sacramenta novae legis sunt signa alicujus quod imprimitur per ea quando rite suscipiuntur, etiam non impediente fictione. Unde absolutio significat illam dispositionem, quae operatur remissionem peccatorum, nisi sit impedimentum. »

Illi sunt responsiones Bernardi ad argumenta Godofridi. In quibus, licet multa bene dicta sint, tamen aliqua falsa dicit. Primum est, quod fictio confitentis in nullo casu sit novum aut speciale peccatum, sed sola circumstantia, quae non trahit in aliud genus peccati, nisi in casu quem ponit impugnando penultimam solutionem Godofridi. Hoc enim falsum est: quia ille qui, cum complacentia peccati praeteriti, vel cum proposito in futurum peccandi, confitetur, dato quod tales actus interiores habuerit antequam confiteretur, tamen, quia cum talibus actibus accedit ad sacramentum poenitentiae, novum peccatum committit, quod potest reduci ad speciem vel genus sacrilegii, sicut dicit sanctus Thomas in suo simili, 3 p., q. 80, art. 4; ubi querit: Utrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, peccet? Et in principali response sic dicit: « In hoc sacramento, sicut in aliis, illud quod est sacramentum, est signum ejus quod est res sacramenti. Duplex autem est res hujus sacramenti: una quidem quae est significata et contenta, scilicet ipse Christus; alia autem est significata et non contenta, scilicet corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Quicunque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat

(α) autem. — Om. Pr.

(β) velle. — Om. Pr.

se esse Christo unitum, et membris ejus incorporatum; quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet in peccato mortali. Et ideo manifestum est quod quicumque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, falsitatem in hoc sacramento committit. Et ideo incurrit in hoc sacrilegium, tanquam sacramenti violator. Et, propter hoc, mortaliter peccat. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione tertii, sic dicit: « Maxima bona Augustinus (*de Libero Arbitrio*, lib. 2, c. 19) intelligit virtutes animae, quibus nullus male utitur, quasi principiis mali usus; utitur tamen eis aliquis male, quasi objectis mali usus, ut patet in his qui de virtutibus superbiunt. Ita et hoc sacramentum, quantum est ex se, non est principium mali usus, sed objectum. Unde Augustinus (tract. 62 in Johann.) dicit: *Multi indigne accipiunt corpus Domini. Per quod doceatur quam (z) cavendum sit accipere bonum. Ecce enim factum est malum, dum male accipitur bonum; sicut e converso Apostolo (6) factum est bonum, cum bene accipitur malum,* scilicet cum stimulus Satanae patienter portatur. » — Haec ille. — Similia dicit, q. 69, art. 9, in solutione tertii, in materia de baptismo. Similia dicit, 4. *Sentent.*, dist. 9, q. 4, art. 3, in solutione prime et secundae quæstiuncularum. Sic dico, in proposito, quod, cum accedens ad pénitentia sacramentum ostendat se penitente de peccatis, et velle Deo reconciliari, et satisfacere, si talis sit positive et scienter fictus, utpote quia recolit se complacere in præterita culpa, vel nullam de illa displicantiam habere, aut recolit et actu considerat se proponere peccare in futurum mortaliter, vel non habere propositum abstinendi a peccato mortali, vel nolle satisfacere Deo, nec injunctam pénitentiam adimplere, talis committit mendacium facti, et sacrilegum, et violationem sacramenti; et sic noviter peccat, nova specie peccati.

Secundum falsum quod dicit Bernardus, est quod talis flete accedens ad sacramentum pénitentiae committat novam circumstantiam peccati, et aggravationem peccati, et nullo modo committat novum peccatum, nec aliquo modo noviter peccat. Istud enim videtur implicare contradictionem quod aliquis noviter augeat peccatum suum, et agravet illud, et quod in tali nova aggravatione et augmentatione nullo modo noviter peccet, nec noviter sit culpabilis; vel quod correspondeat sibi novus gradus peccati, et tamen nullo modo committat novum peccatum, aut culpan, aut gradum culpe. Unde quicunque meretur novum gradum peccati, committit novum gradum culpe, et consequenter novum culpan, quia quilibet novus gradus culpe est nova culpa aliquo modo.

^(z) *quanti. — quod non Pr.*

⁽⁶⁾ *Apostolo. — a populo Pr.*

Tertium falsum quod dicit, est quod, si talis fictus asserat se esse non fictum, vel se esse contritum, non ideo impeditur fructus confessionis, nec peccat mortaliter, quia non mentitur mendacio pernicioso in detrimentum alterius. Hoc siquidem falsum est: quia, licet in tali casu sumum mendacium non noceat alteri, tamen nocet sibi ipsi, et cedit in contemptum et violationem sacramenti, et irreverentiam Dei et Ecclesie.

Quartum falsum quod dicit, est quod omne mendacium facti sit levius quolibet mendacio verbi. Hoc siquidem falsum est; quia multa mendacia facti sunt peccata mortalia, et multa mendacia dicti sunt venialia.

Quintum falsum quod dicit, est quod non omnis hypocrisis sit peccatum. Hoc enim falsum est, prout ostendit sanctus Thomas, ^{2^a 2^o}, q. 411. Nam, in primo articulo questionis, ostendit quod omnis simulatio est peccatum; et, in secundo, ostendit quod omnis hypocrisis est simulatio, qua peccator simulat personam justi. Idem ponit, 4. *Sentent.*, dist. 46, q. 4, art. 1, ubi probat quatuor conclusiones. Prima est, quod omnis hypocrisis est peccatum; secunda, quod hypocrisis est speciale peccatum; tertia, quod hypocrisis quandoque est peccatum mortale; quarta, quod hypocrisis directius impedit effectum pénitentiae quam alia peccata, quia semper excludit rectam intentionem actuum pénitentiae. Quando autem sit mortale peccatum, ostendit ibidem, in solutione tertiae quæstiunculae, dicens: « Hypocrisis habet eamdem rationem peccati sicut et mendacium. Mendacium autem non semper est peccatum mortale, sed quando (z) est perniciosum. Et similiter hypocrisis non semper est peccatum mortale, sed quando est perniciosa, cedens (6) in noctum alterius personæ, dum, propter creditam sanctitatem, alium defraudat re quam habet vel habere deberet; aut in noctum fidei et Ecclesie, dum, propter sanctitatem creditam de ipso, ei contra fidem et Ecclesiam creditur. » — Haec ille. — Sed, in 2^a 2^o, q. 411, art. 4, sic dicit: « In hypocrisi sunt duo: scilicet defectus sanctitatis, et simulatio illius. Si ergo ille dicatur hypocrita, cuius intentio fertur ad utrumque, uti scilicet aliquis non curet sanctitatem habere, sed solum apparere (sicut consuevit accipi in Sacra Scriptura), sic manifestum est quod est peccatum mortale: nullus enim privatur totaliter sanctitate, nisi per peccatum mortale. Si autem dicatur hypocrita ille qui intendit simulare sanctitatem, a qua privatur per peccatum mortale, tunc, quamvis sit in peccato mortali, ex quo privatur sanctitate vita, non tamen semper ipsa simulatio est ei in peccatum mortale, sed quandoque veniale. Quod discernen-

⁽¹⁾ *quanto. — quandoque Pr.*

⁽⁶⁾ *cedens. — cedens Pr.*

dum est ex fine : qui, si repugnat charitati Dei vel proximi, erit peccatum mortale; puta cum simulat sanctitatem ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quaecumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit. Si vero finis intentus non repugnat charitati, erit veniale; puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur; de quo dicit Philosophus, 4. Ethicorum (cap. 7), quod *magis videtur vanus quam malus*. Eadem enim ratio est de mendacio et simulatione. Contingit tamen quod aliquis simulat perfectionem sanctitatis, quae non est de necessitate salutis; et talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali. » — Hac ille. — Ex quibus apparet quod hypocrisy est peccatum mortale quando est perniciosa : puta cedens in detrimentum alterius personae, vel Ecclesiae, vel fidei, vel Dei. Cum ergo sicut confitens, fictione positiva superius expressa, quantum in se est, detrimentum inferat ministro Dei et sacramento Dei, cuius vel quorum effectum impedit, contemnat etiam Deum in suo sacramento, detrimentum etiam inferat sibiipsi, quem tenetur plus quam proximum diligere, privando vel excludendo vel impediendo habitum charitatis et gratiae, et peccatorum mortalium remissionem, sine quibus non est salus ipsi; constat quod sua fictio, simulatio et hypocrisy est peccatum mortale, utputa mensarium perniciosum existens. Nec debet dici mendacium officiosum, cum nulli prosit, nec prodesse possit.

Sextum falsum, est quod talis confessio est integra, facta cum tali positiva fictione scienter.

Septimum, est quod taliter confessus non teneatur confiteri peccata prius confessa, nec ipsam fictionem, plus quam peccata venialia.

Octavum, est quod taliter fictus non impediatur ab effectu ultimo sacramenti per formale fictionis, scilicet per indignum accessum ad sacramentum et abusum ejus, sed solum per materiale fictionis, quod est non penitentiale peccatis.

Nonum falsum, est quod attrito cum sacramento, vel sacramenti susceptione, in nullo casu sufficiat, pro tempore susceptionis sacramenti, ad remissionem peccatorum, sed solum post susceptionem ejus. Videtur enim velle quod sacramentalis absolutio nunquam de attrito efficiat contritum, quod falsum est.

Decimum est, quia videtur velle quod materia sacramenti penitentiae sit peccator spontanea confitens peccata, et quod non requiratur ad propriam materiam sacramenti contritio, nec attritio, nec aliqua displicentia de peccato. Hoc enim falsum est : quia, licet ad veritatem sacramenti non requiratur in confitente contritio, requiritur tamen aliqua displicentia de peccatis quae confitetur, vel in singulari, vel in speciali, vel in generali.

Undecimum falsum, est quod talis sicut confessus, regulariter, et in omni casu, sit absolutus a precepto Ecclesie et Dei, sine quacumque distinctione. Unde super hoc Petrus de Palude (dist. 47, q. 7) ponit quinque opiniones; et in ultima, que est sua, sic dicit : « Talis liberatur a precepto Ecclesiae, ita quod ante annum illum non teneatur confiteri, sive dicat fictionem illam, sive non, dum tamen dicat omnia alia peccata sua. Quia Ecclesia non potest praecipere nisi actum exteriorem; nec potest praecipere aliquam satisfactionem, nec penitentiam imponere pro actu interiori. Unde quando dicitur quod confiteatur omnia peccata sua, quoad peccata cordis est consilium, sed quoad exteriora est preceptum. Si dicatur : Ecclesia non praecepit illud quod est malum, quia precepta boni legislatoris dantur de actibus virtutum; — dicendum quod confessio et absolutio in ficto non sunt mala de se, sed propter circumstantiam fictionis. Et ideo confessio (2) secundum se est in precepto; et, quoad substantiam facti, liberatur a precepto humano, quod non potuit concludere privationem fictionis, sicut nec fictionem prohibere : sicut si eleemosyna est in precepto, et fiat propter hypocrisy, dum tamen homo velit se aquitare a precepto, et cum hoc placere mundo, liberatur a precepto. Sciendum est autem quod praecepere confiteri, legem condendo, non est preceptum fori penitentialis effective, licet sit de illo foro materialiter et objective, sicut dare indulgentias. Unde non potest intelligi preceptum de confitendo quoad peccatum cordis (6); sed de foro penitentiae potest confessor injungere quod frequenter confiteatur de interioribus de quibus se ei submittit. — Ad illud autem quod objicitur a quibusdam, quod Ecclesia potest praecepere actum interiorum, ratione exterioris, quando sine primo non habet effectum; sicut qui potest praecepere lectionem, potest praecepere meditationem, etc.; — dicendum est quod non oportet; sed, eo ipso quod homo praecepit mihi lectionem, Deus, qui praecepit mihi obediere, praecepit mihi meditationem, sine qua non possum legere. Si autem dicatur quod Ecclesia praecepit alicui contrahere matrimonium, quod non est sine consensu, et per consequens consensum, alias ei obediret qui tantum per verba contraheret, et excommunicationem evaderet; — dicendum quod non est simile. Quia, sicut Ecclesia de peccatis confessis, licet cordis, quia jam sibi subduntur, dat indulgentias; sic, postquam aliquis promisit alicui dueere eam in uxorem, obligatus est ad actum interiorum, ex facto quod Ecclesia subjacet. Unde (7), ratione contractus, quo obligatus est ad actum interiorum, Ecclesia cogit eum ad illum : sicut si quis

(2) confessio. Om. Pr.

(6) peccatum cordis. potestatem ordinis Pr.

(7) de. Ad. Pr.

solo corde vovisset, Ecclesia ad illius voti observantiam non cogerebat; si autem ore, tunc sic. Hic autem iste non se obligavit ad penitendum interiorum, promissione que subjaceat Ecclesia: quia, licet in baptismo abrenuntiaverit Satanae, et professus sit religionem christianam, non tamen obligavit se Ecclesia ad obediendum, nisi in illis que sunt sibi commissa; et haec sunt exteriora: sicut religiosus non potest cogi nisi ad ea que ex regula et constitutionibus habent praelati imponere, ad que se obligavit, non ad plura, nisi prout sunt in casu necessaria ad illa. — Cum autem adducitur dictum legis, quod *cum alieni aliquid committitur, etiam committitur illud sine quo eaque non potest, etsi alias non competit* (2), etc., — dicendum quod, commissa juriſdictione, facile committuntur illa que sunt ad hoc necessaria, quando sunt talia que solent alias expresse committi. Talia autem non sunt actus interiorum, quorum judicium Deus homini prohibuit, nisi in foro conscientiae. Et ideo, quanvis non possit praecipere confessionem de peccato occulto exteriori in foro exteriori, potest tamen praecipere confessionem de illo in foro interiori. Ecclesia enim habet preceptum in foro exteriori ad bene ordinandum utrumque forum; sed quia actus interior omnino subterfugit forum exteriorum, etiam si de ipso constaret (quia si quis confiteatur se consensisse in homicidium, non propter hoc posset excommunicari, sicut nec decollari), inde est quod de actu interiori non potest Ecclesia ferre preceptum, nec respectu fori penitentialis, nec judicialis. Sed de actu exteriori omnino occulto, quod ipsa posset punire, si ei constaret (puta per confessionem ejus qui solus est sibi conscius, quod aliter non potest ei constare), ipsa non potest facere preceptum in iudicio exteriori, ita scilicet ut cogatur fateri veritatem; quia jure divino prohibetur de tali occulto inquirere, cum accusatio vel clamosa insinuatio debeat praecedere, licet in communione possit excommunicare eum qui hoc fecerit; sed de isto actu potest dare preceptum exequendum (3) in foro penitentiali. Sed de ipsa interiori penitentia nullo modo videtur posse preceptum dare, quia nullo modo cadit sub ejus precepto, nec quod talis interior penitentia habeatur, nec quod aliquis de ejus fictione confiteatur. — Haec Petrus. Ex quibus patet quod confiteri cum penitentia interiori non est preceptum Ecclesie, sed Christi; et similiter, confiteri fictionem interiorum, sicut et alia peccata cordis, licet non sit preceptum Ecclesie, est tamen preceptum Dei. Similiter, dico quod, licet accedere cum fictione ad sacramentum baptismi, vel penitentie, vel alia, non sit prohibitum precepto Ecclesie, est tamen prohibitum precepto Christi prohibi-

bentis hypocrisim que est peccatum mortale; non tamen prohibet illam que est venialis.

Alia vero que dicit Bernardus, possunt stare. Ideo argumenta que ipse solvit inconvenienter, solvenda sunt ex dictis Petri de Palude, potissimum in solutione ad quartum Durandi superius recitatis, ut patet.

Ad argumentum contra questionem (2), respondebat sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 3, art. 4, q^a 4, in solutione secundi, dicens quod et contritio et satisfactio fiunt Deo; sed confessio fit homini. Et ideo de ratione contritionis et satisfactionis est quod homo sit Deo per charitatem unitus; non autem de ratione confessionis. — Haec ille.

Sed contra hoc arguit Petrus de Palude (dist. 47, q. 8), dicens: « Contra verba que ponit Thomas, videtur quod (4), si contritio et satisfactio, quia fiunt Deo, requirant quod homo qui ista facit, sit unitus Deo; sic confessio, quia fit homini, requirit quod sit unitus homini. Et si prima unio debet esse per charitatem, pari ratione, secunda. Nisi dicatur sic: quod Deus, qui videt dispositionem, non inducit formam nisi in materiam bene dispositam; sed homo, qui non videt eorum vel si ei dicitur, facit quod suum est, intendens facere quod facit Ecclesia; sive erret (5) in facto (et tunc non peccat), quia aliis cunctetur credere, non confiteatur fictionem; sive erret (6) in jure, quia aliis confiteatur eam, et iste nihilominus absolvit, abutens clavis tamen, ex quo intendit absolvere, et verum sacramentum conferre, videtur quod conseruat; et si tunc non habet effectum, propter illius indispositionem, habebit tamen postea, vel ex pactione Dei, vel ex dispositione remanente. — Et si dicatur quod non est sacramentum, quia (7), licet habeat veram formam, non tamen veram materiam, que est peccator contritus, sicut materia matrimonii homo consentiens; — dicendum quod quando sua fictio non sibi occurrit ut confitenda, tunc non est confessio dimidiata; et quando fictionem suam dicit eum aliis peccatis, est confessio integrata; et sic materia perfecta, cui potest imprimi forma. Quod si fiat, verum sacramentum erit, quanvis fieri non debeat: sicut homo sacerdos habens hostiam super altare pollutum, non deberet quidem celebrare; sed, si preferret verba, vera Eucharistia esset. Peccator enim est materia, sed immunda, nisi sit saltem attritus; vel confessio sine attritione est materia immunda (8). Et tale

(2) *questionem, et conclusionem Pr.*

(3) *quod, quia Pr.*

(4) *erret, erretur Pr.*

(5) *erret, erretur Pr.*

(6) *erret, ergo Pr.*

(7) *Pecccator enim est materia, sed immunda, nisi sit saltem attritus, vel confessio sine attritione est materia immunda — et sufficit, ut quidam dicunt Pr.*

sacramentum non valet ad remissionem culpe nec poena pro tunc; sed, recedente fictione, valet ad utrumque, vel ex pactione, vel ex ornatu disponente sicut character, etiamsi contritio ponatur pars essentialis penitentiae sacramenti: quia sicut satisfactio, quae ordine nature debet sequi confessio- nem et contritionem, aliquando precedit confessio- nem, et sufficit, ita ut non teneatur Deo amplius satisfacere (puta quia contritio delevit penam; in quo casu, si constaret sacerdoti, nullam peniten- tiam injungere deberet, sicut nec baptizato; vel si tantum penitentiam fecit post contritionem, proprio motu, quod videatur satisfaciens confessori, non injungat aliam); aliquando autem precedit contritionem, ut quando facta est in peccato mortali, et est talis quod aliquid demit de substantia (puta quia tota penitentia erit in eleemosynis, quas errogavit in peccato, postea conteritur, gratias habens eleemo- synas quas fecit peccator), et sufficit, ut quidam dicunt (2); sic, e converso, licet contritio debeat precedere confessionem et absolutionem, si tamen sequitur, sufficit ad habendum tunc fructum. » — Hoc Petrus.

Mihi breviter videtur dicendum, quod, pro tem- pore absolutionis (6), non sit verum sacramentum penitentiae, nec integrum, si confitens non habet tempore quo confitetur, nec pro tempore quo absolvitur, ullam displicantiam de peccato: quia, in hoc casu, non est vera nec integra nec sufficiens materia sacra- menti, ut prius dictum est. Si autem habet aliquam displicantiam de peccato, que tamen non attingit ad rationem contritionis, nec secundum se, nec cum sacramento, nihilominus est verum sacramentum, sed non perfectum in se et in suo effectu; quam- jamen ultimataam perfectionem dabit sibi contritio, si postea sequatur. Si autem, nec tempore confes- sionis, nec tempore absolutionis, affuit attritus, nec qualisunque displicantia de peccato, tunc nulla contritio sequens faciet, nec integrabit, nec perficiet praecedens sacramentum, quod nullum fuit; sed aliunde poterit esse salutifera, puta ex desiderio futuri sacramenti.

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

(1) *suppetit, ut quidam dicunt, — est materia, sed oamanda, nisi sit saltem attritus; vel confessio sine con- tritione est materia oamanda.* Pr.

(6) *absolutionis, — absolutio.* Pr.

DISTINCTIO XVIII.

QUESTIO I.

UTRUM CONFESSIO NON INTEGRA POSSIT ALIQUID VALERE
AD SALUTEM

 Circa decimam octavam distinctionem, et finem precedentis, queritur: Utrum confessio non integra possit aliquid valere ad salutem.

Et arguitur quod sic. Quia sacerdoti non debet fieri confessio de peccatis, nisi propter absoluto- nem. Sed quandoque sacerdos qui audit confessio- nem, potest de aliquibus peccatis absolvere, et non de omnibus. Ergo ad minus in tali casu non oportet quod confessio sit integra.

In oppositum arguitur. Quia hypocrisis est impe- dimentum penitentiae. Sed dividere confessionem ad hypocrisim pertinet, ut Augustinus (*De vera et falsa penitentia* (2), cap. 45) dicit. Ergo confessio debet esse integra, sic ut omnia peccata uni sacer- doti quis confiteatur.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod confessio debet sic esse integra, ut homo confiteatur *uni omnia pec- cata que habet in memoria.*

Hanc ponit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 47, q. 3, art. 4, in solutione secunde questiunculae, ubi sic dicit: « In medicina corporali portet quod medicus non solum unum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat; sed etiam univer- saliter totam habitudinem ipsius infirmi, eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, et medicina qua uni morbo competret, alteri nocu- mentum prestaret. Et similiter in peccatis: quia unus aggravatur ex adjunctione alterius; et illud quod uni peccato est conveniens medicina, alteri incentiveum prestaret, cum quandoque aliquis con-

(2) *Hoc opus non est Augustino attribuendum.*